...ertus Ustiensis.

Bieżanowski Stanisław Jos: Sacrum theologiae honoris fastigium / D. Alb. Papenkowicz.

SACRVM THEOLOGICI HONORIS FASTIGIVM,

ILLVSTRIS, & ADMODVM REVERENDI DOMINI,

D. ALBERTI PAPENKOWICZ,

VSTIENSIS,

Sac: Theologiæ Doctoris & Professoris,
COLLEGÆ MAIORIS,
Ecclesiæ Collegiatæ S. FLORIANI Custodis,
Prothonotarij APOSTOLICI,
CANCELLARII Lanciciensis,
Contubernij Staringelliani PROVISORIS,

DVM

Pro loco inter Sacræ Theol. Doctores,
In Celeberrima Vniuersitate Cracouiensi obtinendo,
Ritu solenni responderet,
Debiti cultûs, & gratulationis ergo,

A

M. STANISLAO JOSEPHO BIEZANOWSKI,
Leopol. Philosophiæ Doctore, Collega Minore,

Votiuo applausu,
Luci publicæ

EXHIBITVM.

Anno Salutis, 1666. Die 22. Mensis Februarij.

CRACOVIÆ,
Apud Hæredes & Sucess. LVCÆ Kupisz, S. R. M. Typogr.

SACRVM
THEOLOGICI HONORIS
FASTIGIVM,

Ad Sublimia

ex virtutis, & Sapientiæ merito, prouehi,
veri honoris, nobilissima portio est.
Multi quidem in sublimi positos se, mirati sunt;
qui gradum ne fecissent, an euolassent? semper ancipites,
honoris sui nunquam securi fuere.
Habet nimirum fortuna
ceras, quibus Icaros suos in altum promouet, pennas;
quæ cùm ad lucem publicam, facilè liquescant, soluanturq;:
onus suum, non ad lacrymas deferunt, sed ad risum.
Securior
Virtutis, & Sapientiæ, ad sublimia processus.
Gradus quidem eius anhelitum habet:
sed spiritum non extinguit.
In altum sic euadere, Heroicarum mentium, dos propria;
quas nunquam honor excipit, quin plausum ex voto habeat.
sed aliud est,
in plausus, fauoresquè incidere; aliud promereri:
hoc ex destinato virtutis; illud ex improuiso Fortunæ venit:
quibus tam dispar conditio;
quàm certi ad incertum, comparatio impar.
Atq; hinc fit;
quod alios applausus, alij applausus, sequantur;
Soles illi, vmbræ isti;
minores, maioresquè, non ex sua, sed aliorum mensura.
Animorum enim voluntates,
vt & merita virtutis, per gradum ascendunt;
nemoqué repentè honorem meruit:
cum nec coronæ, honorum insignia, spontè nascantur:
Sed fiant.

Tua

Tua certè
Jllustris, & Admodum Rnde Dne,
Doctoralis corona,
decumanum emeritæ virtutis, & Sapientiæ opus est.
Ad tempora Tua non assurrexit subitò,
Sed cum tempore venit, maturuitquè;
quod putares,
intempestiuum honoris fructum esse, tempestiuè honorari.
Multi in Sapientiæ Templo, afflari ad oracula volunt;
pauci cum Cleanthe lucernam de suo accendunt:
paucissimi cum Pythagora, hecatomben integram mactant.
Sunt, qui in parnasso, nihil, præter somnum diligunt, sectanturquè;
vt repentè vates prodeant:
digni profectò, qui ex entheo, quem somniantes hauserant spiritu,
non fumos, vt ille; sed somnia vendant.
Etvendunt profectò, cum Daui Dauis venditant;
neç alius mertium questus frequentior; quàm imaginatio Sapientiæ.
Decepere multi, hoc phantasmate, sæculi sui iudicium:
quibus laruam detraxit, vera posterioris æui facies.
Ita multum refert,
habeasnè famam, an merearis?
quidquid enim non ex emerito venit;
ceu malè partum, aliena crysis, longaq; dies auferet.
Solidissimum Tibi ex meritis,
Illustris, & Admodum, Rnde Dne,
gloriæ decus, honorisq; fastigium.
Musarum Tibi ab in eunte ætate, placuêre sacraria:
Sed non myrothecia:
nam vt illis litares, de Tuo prouidisti;
Ex Tripode Apollinis loqui, alijs facilè concessisti;
Tu Delphos in laboribus computans:
hoc egisti, vt non vbiq; Phæbi gratiam, flabellumq; expeteres.
Apes quidem
in ore Platonis, mellificium spontè fecerant, sed infantis.
Symbolum hoc, non beneficium,
laboriosissima deinceps in mellificio Sapientiæ,
viri opera secuta est;
ita ne Diuino quidem Platoni,
& sapidè, & sapienter loqui, absq; insipido labore datum est.

ô Sacrvm improbi laboris Numen,
quàm nihil sine Te probum, probatumquè!
Dij etiam, non liberales tantum, sed prodigi:
solum laboris nummum, auarè colligunt:
cùm omnia laboribus vendant.
Hæc Tibi augusta mens
Illustris, & Admodum Rñde Dñe,
laboris & meritorum amantissima
sinapi, ante pastillos momordit; obstupuitq́, ad labruscam, antequam suas sumere.
In magno Patruo Tuo,
Perillustri olim, & Admodum Rñdo Dño,
IACOBO VSTIENSI,
S. Th. & I. V. Doctore, Præposito S. Floriani,
ad cuius absolutum virtutis, & sapientiæ speculum, formabaris,
summam in omnibus laudem vidisti; solam ex meritis secutus,
Splendorem nominis eius,
non repercuti tantùm in Te; sed transire voluisti.
ipse quoq; lucidum animi vultum gestans;
In quo seruaret lineamẽta lucis suæ, summa Patrui Tui claritas;
faceretq; vt Magni in Academia nunquam non viuerent
VSTIENSES.
seruasti vitam illis perennem, dum cõtinuasti gloriam;
in loca quoque eorum succedens, gradu, quo præiuerant.
CIVIS ACADEMIÆ factus,
primum, quod in eam intulisti, boni publici amor fuit.
Augustam Studij Vniuersalis faciem, cùm impensè diligeres;
separari ab ea, in rem nostram, inter amoris officia computâs,
Coloniæ Academiæ Bialensis Director,
cùm desideria Tua bono publico postponis; vt desiderareris, fecisti.
Partibus illis, quanto lumine præfueris:
decus, quod extulisti, mensura sit.
Inclarueras profectò,
qui fulgentissima Ducum in Visniowiec, & Zbaraz sidera,
in Orbem Academicum deportasti.
Tantæ lucis pondus, dùm ad summam virtutis, & eruditionis promoues augem,
non ante dimisisti; donec ad Orbis Poloni firmamentum assurgeret;
cùm Te quoq; iam, Orbis Academici firmamentum,
Collegij Maioris domus inclyta, excepisset
Principem hîc facultatis suæ, Philosophica Peripatus Te habuit;
nunquam laurearum fæcundior:
quarum primas & secundas 75. Viris, dum necteres,
laurea-

laureato, Clarissimi olim Viri, Laurentij Smieszkowicij,
Academiæ nostræ RECTORIS, & Procancellarij, sæculo,
eruditas laurus, vberrimè prouenisse, didicimus.
Tanto coronarum prouentu felix,
ad sacram Theoligicæ Facultatis coronam, transire debuisti;
ne Te longius Præside, tota deinceps Philosophica Peripatus, in coronam abiret.
Ad Cathedram Theologicam ex asse factus,
impleuisti animos, annosq;, professionis gloriâ, & numero:
ingenij felicitate, disputandi subtilitate, resoluendi facilitate,
per omnes Theologiæ partes, adusq; controuersam prouect⁹;
seu Tibi quoq;, quod olim fidei Petræ, Principiq; Theologorum dictum fuerit;
occide, & manduca.
Tanto proinde profide Christi, sedeque Petri capiti, zeloq;
Caput orbis Roma, sedesq; Petri, Coronam Theologicam vt imponeret,
Sapientiam eius adijsti.
Viditin Te Roma, Sarmatiæ, quos armata nō vicerat Populos;
nec à Togatæ Sapientia vinci:
nec deesse suū Septemtrioni Latiū, quod in medio quoq; Latio,
Sybillæ folia, Euandriq; Matrem, non requireret.
Eminentissimus certè CARDINALIS VIDONVS,
Bononiæ cum Te perhumaniter excepit;
quantum Polono in Te nomini, honorique detulerit,
Hesperiæ suæ testatus est.
Renouasti Purpurato Patri,
quàm in Orbe nostro, Legatus à latare,. animorum non deesse viderat elegantiā;
legebatquè ex vultu Tuo, nationis decus, & Gratias;
quas Romæ quoquè,
SS. Dn̄us N. ALEXANDER VII.
rarâ admissionis prærogatiuâ, complexus;
dum ad sacri vultûs, primam in Terris Maiestatem,
longiori supra morem oraculo detinet;
Victuras in Sarmatia, ad oraculum Sapientiæ fecit.
Tua hæc felicitas, quod Solem illum Ecclesiæ,
quem Orbis terrarum curæ non sistunt, morari in Te feceris;
seu perficere Te ad summam claritudinem vellet, dum longius irradiat:
ita Romæ, ad Orbis Sapientiam spectauit,
eruditæ lucis Tuæ decus complere, firmarequè.
Adhuc ne fastigium Tuum Theologicum, applaususquè in eo nostros moraris?
qui à Vaticano Ecclesiæ fastigio, primos applausus meruisti.
Ad hanc amussim componimur, dum applaudimus Tibi;

ibiquè honores Tuos continuamus cæptos, vbi apex honorum in summo desinit.

Ad angustias tamen
votorum pro Te solennium, redacti sumus;
cùm nihil vouere possimus; quod tu non præueneris.
vna adhuc felicitas, non tam Tua restat, quàm nostra;
vt cùm impleueris vota Tua; impleas quoq; gaudia nostra.
Ad coronā Tuam nihil addi potest; nisi sola PERENNITAS;
felicitati ex Te nostræ, sola diuturnitas.

In hoc Theologico zenith Tuo;
moras Tibi, amore nostro, imponimus;
quin & inijcimus manus; ne sūmitas Tua in puncto sit.
Fauebit votis nostris, Orbis ACADEMICI Intelligentia;
fieriq; in Te remissior, non erubescet;
vt intelligas, quàm carus sis;
quem moras vitæ, de annis quoquè nostris nectere,
computamus in lucro.
Thymiama hoc votorum, in ara Tua accendimus,

O Sapientia
quæ ex ore Altissimi prodijsti.
serua hoc pectus, quod imples,
nobis longæuum, Tibi perpetuum;
nec ante desinat, oraculis Tuis,
CATHEDRARVM fastigia implere;

Donec
meritis, virtutibus, & annis,
ACADEMIÆ
& FASCES impleat, & FASTOS.

VOTIVVS APPLAVSVS.

FÆcunda votis pectora quid iuuat ?
Inordinati claustra silentij,
Inter repercussos tenere,
Theologo super Axe plausus ?
O quotquot imis, gaudia mentium
Hærent medullis ! solue beatior
Dies, ocellæ, & flos dierum,
Threijcio memoranda plectro.
Diuina vatem flaminis enthei
Vis en fatigat. Quis modico sinu
Concludat, eruptura latè
Vota animi, grauidosq; sensus ?
Imus sequaces ; quo trahimur Tui
Honoris auge, & Pierium Tibi
ILLVSTRIS ô Doctor, tributum,
Mæoniâ numeramus arte.
An eruditis parta laboribus,
Dos eminentis Maxima gloriæ,
Sacrum coronatæquè laudis,
Serpet humi, sine vate culmen ?
Felicitatis portio nobilis,
Hæc est Togatæ ; dum redit aureus
Flos literatorum ; suamquè
E meritum decus, implet augem.
Creuêre nunquam Palladias viri
Summi per artes ; publica quin boni
Communis incrementa, doctæ
Reddiderint, pretiumq; Stoæ.
Priuata Coi, seu Pilij senis,
Tubæq; Graium Mæoniæ stetit,
Nunquam peregrino sub axe
Gloria ; Socraticamque vidit
Orbis cicutam ; proficiens viri,
Ad mortis haustus, poclâquè tristia,
Vultu serenato. Docemur
Ipsâ etiam Sapientis vmbrâ ;


 Sem-

Semperq; ad omniûm, commoda publica
Lux ista surgit; quam nisi honoribus,
Ortuquè dignaretur alto,
Desiperet male cultus orbis.
Hinc & supremos, Theologus Tibi
Apex honores, quando Academici
Inclinat ex voto senatûs;
Publica res agitur, Togatæ
Virtutis in Te. iamquè labor minax,
Et tetricarum lurida noctium
Fuligo dulcescit; coronis
Quando Tuis animata, lucem
Fastigiorum cogitat auream;
Pulchroque rerum discimus ordine,
deserta curarum, viasque
Sponte sequi meritorum acutas;
Si tanta euntes dos sequitur; gradus
Emensa doctos, tantaq; gloria;
Quæ Te PAPENKOWI sacrata
Ambit, & insequitur curuli.
O quàm beatæ nunc sapiunt Tibi,
Fastidiosi temporis, arduæ
Olim Sophorum per Cathedras,
Primitiæ, sterilesq; luctæ!
Duplexq; laurus, non modico sophûm
Sudore quondam, quæ Tibi constitit,
O quàm triumphali, decoros
Fronde Tibi renouat Corymbos!
Quidquid Białensis Gymnasij, vigil
Te cura gessit Præside; floridam
Seu pubis ætatem Polonæ;
Mascula seu meliore formas,
Scientiarum pectora dogmate:
Mitrata quidquid sidera Principum,
Natæquè VISNIOWIECIORVM
Sarmaticis Animæ triumphis,
Hausêre lucis Palladiæ, Tuo
De fonte docti luminis; aut Domo
Quidquid laboratum est vtraque;
Publica seu Peripatus alto

Tene-

Tenenda cursu; seu melioribus
Diuina sacræ rostra scientiæ
Implenda votis; quotquot omnis
Sparta tulit, meruitquè punctum
Laboriosi muneris; vbere
Sinu refudit, Theologûm decus,
Honosquè Doctoralis in Te.
Iamque operis iuuat eruditi
Impléffe cyclum, gesta per ardua
Plausus tot inter, lætaquè cordium
Tributa, Phæbeas per artes
Perpetuo reditura censu.
Quin & remotas Ausonidum plagas,
Orbisque ocellum, Romuleam iuuat
Vrbem salutâsse, & supremos
Christiadûm coluisse Fasces:
Dum Pastor orbis, primaquè Sanctitas,
E Vaticano Pontificum Thronô
Laurus ALEXANDER Togatas,
Alloquio probat ipse sacro;
Dextraque firmat; qua sibi creditum
Sustentat orbem. Nempe Fidelibus
Arcana Maiestas in esse
Promeritis solet; inquè amorem
Sui, latentes tendiculas bonis
Visa est frequenter ponere mentibus;
Ceu nube non totam recondit
Sol faciem; radiosquè in ipso
Lucis recessu vibrat amabiles.
Hoc vidit in Te, sole sub extero,
Flos ille terrarum, nitorquè;
Hoc patrijs veneramur oris;
Doctoris in Te Theologi Sacrum,
Qui literato prosequimur decus
Honore, votorumquè nexu.
O series peramæna vitæ!
O quotquot vsquam sunt rosei dies!
Horæquè dulces, canaque tempora,
Te post triumphatos labores,
Nestoreis comitentur annis;

Eant beatis sæcula passibus;
Æuoq; Tecum surgat ab aureo,
Curis amicum literatis
Nomen, & ingenium VSTIENSE.



Sub Felicissimis Auspicijs,

Magnifici, Perillustris & Admodum Reuerendi Dñi,

D. STANISLAI IVRKOWSKI,

Sac: Theologiæ Doctoris & Professoris,
Prothonotarij Apostolici, Præpositi S. FLORIANI,
Custodis Opatouiensis,
Scholarum Collegij Vladislauiani PROVISORIS,
Studij Almæ Vniuersitatis CRACOVIENSIS,
Procancellarij Dignissimi,
ET
GENERALIS RECTORIS.